

090

088

094

084

099

079

139

039

189

Ende

Anfang

75

labitur, mare fuit: quod bene credo, cum mare ante tempora
fuerit multo altius, quam nunc sit, ut ostendetur folio sequenti
et P. 2. Fol. 173. B. Venimus autem ad unam villam nomine
Nova, in quam ruit fluvius rapidus de montanis, qui dividit
Italos ab Alemannis, et supra fluvium in parte nostra stat
una Capella, in qua ilia S. Udalrici Episcopi Augustensis
sunt sepulta. Dicunt enim, quod Sanctus praefatus fuerit
Romae, et in itinere existens incepit graviter infirmari.
Rogavit autem Deum, quod non permetteret eum mori in
Italia, sed in Alemania, et ita factum est. Statim enim ut per
pontem hujus fluminis venit, mortuus fuit, et ilia ejus ibi
sepulta, corpus vero fuit in Augustum deportatum. Ab hoc
loco in Tridentum civitatem equitavimus et per noctem ibi
mansimus. Civitas Tridentina una est de vetustissimis civi-
tibus illis, quas Trojani venientes per mare cum Antenore
in montanis aedificaverunt; ad ejus moenia decurrit Athesis.
Est autem in amoenissimo et claro ac sano loco sita: et sunt
quasi duae civitates, inferior et superior, propter duas diversas
gentes. In superiori enim habitant Italici, sed in inferiori
sunt Alemanni. Et ibi est divisio linguae et morum. Raro inter
se habent pacem, et saepe ante tempora nostra fuit illa civitas
dilacerata, quandoque ab Italicis in odium Theutonicorum;
aliuando a Germanis in displicentiam Italorum. Non sunt
multi anni elapsi, quod Theutonici in illa civitate erant
hospites et pauci, nunc vero sunt cives et urbis rectores. Et
tandem continget de illa civitate, et nunc de facto contigit,
cum Dux Athesis Pontinae eam jam totaliter sibi et Theutonicis
subdiderit, sicut de Bozano dictum est, quia Alemani in dies
magis et magis augmentantur. Quae autem sit causa augmenti
eorum, quod nos potius crescimus in regiones aliorum, quam
alii crescent in regiones nostras, adhuc non didici: nisi dicere
velimus in terrae nostrae ruborem, quod propter ejus defec-
tiones et steribilitates, quaerimus alienas; vel propter populi
Theutonici crudelitatem, cuius vicinitatem et conspectum nulla
potest sustinere gens, sed dant cuncti eis locum, cedentes
iracundiae, quam nemo tolerare valet. Ex opposito civitatis
super Athesin habent fratres Praedicatores conventum valde
amoenum, pulcherrimis hortis circumdatum: et dicitur ad

